

dem, interueniente sanguine suo ad remissionem præ teritorum peccatorum ad ostendendam iusticiam suam, ut sit ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

Hæc est ocularis demonstratio iusticiæ Dei, quod tantum sanguine filij sui potuerit ei satis fieri pro peccato hominis, & sic declareret se iustum in servata promissione facta in paradiso: Semen mulieris conteret caput serpentis: proponens hunc propiciatorem, qui effuso suo sanguine hoc promeruit, ut Deus propter suam iusticiam iustificet eum, qui est ex fide Iesu, & non ex lege, aut circumcisione, aut carne Abraham.

Etsi autem post promissionem: Semen mulieris conteret caput serpentis. Et remissionem peccati fiducia huius seminis, infictæ sunt graues & tristes poenæ tam viro quam mulieri: tamen hæ neq; dolore quantumuis magno, neq; luctu perpetuo, neq; ieiunijs & precibus sempiternis per omnem uitam, & nongentos triginta annos, quibus illi uixerunt, tolli poterant, sed oportuit primos homines sustinere & perferre comminatas poenas: In sudore uultus tui uesceris pane tuo, donec reuertaris in terram. Hæ poenæ temporales manent in omnibus posteris, nec possunt tolli ullis satisfactionibus.

Deinde pro singulis peccatis actualibus infliguntur nouæ poenæ temporales, nec unquam usquā manet dedecus culpæ, sine decore iusticiæ.

Neq;